



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XXIX. Vtrum præter simultaneum concursum gratiae, qui est in actum
voluntatis, vel intellectus, sit necessarius alius præuius in potentia
receptus, & à motibus excitantis distinctus, referturq[ue], ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

CAPVT XXIX.

*Utrum prater simultaneum concursum gratie, qui est in actu voluntatis, vel intellectus, sit necessarius alius praeuius in potentia receptus, & a moribus excitantis distinctus; refertur-
que prima sententia cum suis
fundamentis.*

1.
Ratio du-
bitandi, &
status qua-
estiois.

Questio hæc valde coniuncta est cum quaestione de auxilio efficaci gratie, est tamen in rigore distincta, & magna ex parte ex diuersis principiis pendens, pertinetque ad auxilium per modum concursus, de quo disputamus, & ideo non potest hoc loco prætermitti. Duplici ergo ratione, vel titulo potest hæc præmotio diuina requiri ad actus voluntatis humanæ. Primò ex generali ratione con cursus primæ causæ cum secunda, siue naturalis, siue libera. Secundò ex peculiari necessitate, vel indigentia orta ex propria excellentia ordinis gratiæ, & actuum eius, quatenus vires naturales voluntatis humanæ excedunt. Hæc verò posterior consideratio pertinet ad librum quintum; ideo quoad fieri possit, illam à priori separabimus, & in illum locum eam remittimus. In priori autem sensu quaestio in præsentia tractanda est, nam quia diximus in actibus supernaturalibus dari influxum immediatum Dei, per modum simultanei concursus, ex generali ratione, & subordinatione causæ secundæ ad primam, videndum superest an ex vi eiusdem subordinationis, & dependentiæ sit necessarium aliud auxilium à solo Deo vt à prima causa ipsi voluntati inditum prius natura, quam velit aut amet, vt similem actum efficiat, vt per illud physicè inueniatur, vel determinetur ad talem actum. Vnde hæc quaestio duplicem generaliore inuoluit, vna est de concursu Dei cum omnibus causis secundis, an sit influxus non tantum in effectum causæ secundæ, & simultaneus cum actione eius, vel etiam sit influxus præuius in ipsam causam. Alia est an hic concursus præuius, saltem in causa libera & indifferente ad agendum hoc, vel illud, aut agendum, & non agendum sit per se, ac semper necessarius ad effectum seu proprium actum talis causæ. Prius ergo priorem quaestionem, deinde posteriorem prosequemur, cuius resolutionem ad supernaturales actus gratiæ in fine applicabimus.

2.
Prima sen-
tentia ad-
mittit ne-
cessitatem
influxus præ-
uius ad om-
nem actio-
nem crea-
turæ.

Capreol.

Prima ergo sententia docet necessarium esse hunc influxum præuium ad omnem actionem causæ secundæ ex subordinatione, & dependentia essentiali quam causa secunda habet à prima. hanc sententiam tanquam communiter receptam in schola D. Thomæ defendunt constanter moderni Scriptores physicæ prædeterminationis defensores; nam hanc præmittunt vt basim & fundamentum suæ doctrinæ de efficacia gratiæ. Et in primis tribuunt illam Capreolo 2. d. 1. q. 2. præsertim in conclus. 6. & argumenta contra illam, sed ibi Capreolus necessitatem concursus simultanei expressè declarat, illamque quatenus extra Deum est, dicit esse eandem actionem causæ secundæ, prout à Deo est. Alium verò influxum causæ primæ, in secundam non distinguit, nec declarat, sed loquitur eisdem modis, quibus D. Thomas, quem allegat præsertim in q. 3. de præsent. art. 7. de quo infra dicturi sumus. Citatur etiam idem Capreolus in 2. d. 28. q. 1. ad 12. contra secundam conclusionem. Sed ibi potius docet influentiam generalis

concurfus positam esse in sola partiali coefficientia Dei, vt cap. 29. latius referam.

3. Præterea tribuitur hæc sententia Caietano 1. p. quæst. 14. art. 13. circa principium. & quæst. 19. ad 8. in fine, sed in his locis potius docet contrarium, vt cap. 29. ostendam. Refertur præterea ea in eadem 1. parte quæst. 45. art. 5. vbi Durandus respondens ait, causam secundam non agere nisi vt instrumentum Dei, quia oportet vt agatur à Deo multipliciter, quod remittit ad modos numeratos à D. Thoma dicta quæst. 3. de potent. art. 7. in quibus videtur hic includi, de quo infra videbimus. Allegatur denique 1. par. quæst. 115. art. 6. §. Ad euidentiam, vbi non de concursu Dei, sed de influentia colorum tractat, de qua est ratio longè diuersa, vt postea videbimus.

Hanc verò sententiam aperte tradit Ferrar. 3. Hæc contra gent. cap. 70. §. circa illam propositionem, eandem tenet Cabrera 3. p. quæst. 17. art. 4. de 2. §. 3. n. sententia 113. vbi variis exaggerationibus vtitur, quibus respondere non est necesse, multaque allegat, & congerit, quæ ad rem non faciunt, quia confundit quaestionem vniuersalem de generali concursu, cum quaestione de auxilio gratiæ efficaci, de qua nunc non tractamus. Eandem ferè eodem modo defendit Aluarez disp. 18. & Ledefina de Auxiliis in principio quaestiois conclus. 3. & latius art. 2. conclus. 2. & toto art. 3. & 18. Alios omitto, quia nihil superioribus addunt. Solet etiam hæc sententia tribui Aristoteli, Augustino, & maxime D. Thoma, quorum testimonia nunc omitto, quia de illorum sententia speciale caput instituiam. Aliqui etiam in confirmationem huius sententiæ congerunt illa scripturæ testimonia, in quibus dicitur Deus facere vt faciamus, & vt præcepta impleamus, vel incipere in nobis velle, & illud pericere & similia, quæ de auxilio gratiæ præuenientis specialiter dicta sunt, & ideo nihil ad præsentem causam faciunt, vt in sequentibus, & latius, ac proprius libro quinto ostendam. Auctoritas ergo huius sententiæ, non est maior quam à nobis proposita est; rationum ergo fundamenta perpendamus.

Prima ratio sit, quia causa secunda nihil agere potest nisi in virtute primæ, ergo necesse est, vt Deus prius illi imprimat suam virtutem, per quam ad agendum vltimatè compleatur. Consequentia probatur, quia si nihil præuium à Deo reciperet, præter concomitantem actionem non ageret in virtute Dei, sed sola propria virtute. Antecedens autem probatur, quia causa secunda tribuit suo effectui aliquod esse existentie, sed hoc esse non tribuere, nisi in virtute primæ causæ, & per motionem actualem eius, quæ & in sua virtute actiua compleatur, & à primo agente ad efficiendum moueatur, ergo necessario indiget causâ secundâ illa præmotione. Minor probatur, quia esse existentie est vltima actualitas rei, virtus autem operatiua creaturæ est actus admittus potentie; ergo non potest per se sua virtute efficere vltimam existentie actualitatem, quia principium agendi debet habere non minorem actualitatem, quam eius operatio. Et confirmatur, quia forma creata, seu potentia est tantum actus primus, & consequenter est actus admittus potentie; ergo non debet habere tam perfectam actualitatem, quantam habet operatio, quæ est actus secundus; ergo oportet vt per motionem præuiam illam recipiat.

Secunda ratio principalis est, quia esse existentie, seu proprius effectus Dei; ergo à nulla creatura fieri potest, nisi tanquam ab instrumento Dei; ergo prius debet recipere virtutem, seu motionem, quæ vt instrumentum Dei ad dandum esse suo effectui moueatur, seu compleatur. Consequentia prima clara est, quia proprius effectus Dei ab illo tantum prin-

Principaliter fit; ego inferiores causæ non attingunt illum, nisi in virtute Dei; ergo oportet ut ab illo prævia motione tanquam à primo artifice moueantur. Antecedens autem probatur, quia esse est vniuersalisissimus effectus, ac proinde est proprius vniuersalisissimæ causæ, quod sentit auctor libri de causis, dicens intelligentiam non dare esse, nisi in quantum est diuina. Et apertius illud principium tradit D. Thom. 1. p. q. 45. art. 5. & 3. contra gent. cap. 63. & q. 3. potent. art. 7. maxime verò dicitur hæc ratio supra ex solutione illius articuli, quam in capite 31. pertractabimus.

Tertia ratio sit, quia concursus causæ secundæ pendet essentialiter à concursu causæ primæ, ergo concursus causæ primæ est prior ordine causalitatis; ergo recipitur in ipsa causâ secundâ prius naturâ, quam ipsa agat. Consequentia sunt claræ. Antecedens autem probatur, quia aliâs causâ secundâ potest agere sine auxilio causæ primæ, & sic essent plures causæ primæ, seu plura prima principia, quæ est hæres Manichæorum. Sequela probatur, quia deratione principij primæ est ut possit agere sine auxilio prioris agentis, & sine influenza illius: si autem causâ secundâ, vel voluntas creata ageret aliquid sine prævia motione prioris agentis, ageret sine auxilio, & influenza eius; ergo esset primum principium suæ actionis, & sic essent plura principia. Et hæc ratio dicitur desumpta ex D. Thom. 1. de 37. q. 2. art. 2. vbi specialiter agitur de actu peccati, ut actus est, & probat esse à Deo ratione sumpta ab illo absurdo, quod voluntas creata esset primum principium suæ actionis, si aliquam actionem posset producere, cuius auctor Deus non esset. Induciturque statim responsum quorundam negantium illam sequelam, quoniam deratione primi principij non est tantum agere à se, sed etiam esse à se, quod neque voluntas, neque vlla causâ creata habet.

Refutat autem D. Thomas responsum primò quia virtus ab essentia producit, & operatio à virtute. Unde cuius essentia ab alio est, (inquit) oportet, quod virtus, & operatio ab alio sit. Secundo, quia per illud responsum licet euitetur, ne causâ creata sit primum agens, non euitatur quin sit primum agens, si eius actio in aliud prius agens non reduceretur, sicut in causâ. Tertiò, quia non habet esse à se, non potest habere à seipso agere: sed potentia creata non habet esse à se, hoc, quod est actualiter influere in suam operationem, sed hoc ipsum accipit à Deo; ergo necesse est, ut Deus influat in ipsam potentiam creatam aliquid præuius, quo moueatur, & applicetur, ut actualiter agat. Consequentia videntur claræ, & minor est certissima: Maior autem à D. Thom. supra probatur quia res, quæ non habet esse à se, non potest à se durare; ergo neque potest à se agere. Ab aliis autem probatur, quia etiam in ipsâ Trinitate Filius non habet à se producere ad intra, sed à Patre, quia non habet à se esse, sed à Patre, ut docet Concil. Florentinum, & Filius ipse testatur Ioan. 5. Non potest Filius à se facere quicquam, ergo multo minus potest creatura agere à se.

Confirmatur hæc ratio, quia aliâs aliquid esset in creatura, quod non esset à Deo, nam præter virtutem permanentem ad agendum, & actionem est in causâ secundâ agere, vel determinari ad agendum, & hoc est aliquid in illa, quod non sit per concursum simultaneum in effectum: ergo oportet ut fiat à Deo, per proprium influxum in causam, & habeat illud causâ secundâ à se, & sine Deo. Tandem explicatur aliter hæc ratio, quia operatio causæ secundæ, & effectus diuinæ præmotionis, quia causâ primâ facit, ut secundâ operetur, ergo præcedit diuinâ præmotio, quia causâ præcedit effectum suum.

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

Quarta ratio similis præcedenti est, quia omnis causâ secundâ subordinatur primæ essentialiter; ergo priusquam causâ secundâ operetur, mouetur à primâ per influxum aliquem in ipsâ causâ secundâ receptum priusquam fluat in effectum. Antecedens certissimum est; consequentia verò probatur multis modis. Primò, quia Deus non dicitur causâ primâ solum propter maiorem perfectionem, aliâs Angelus supremus diceretur causâ primâ respectu rerum omnium naturalium, quia est per se perfectior illis; ergo dicitur primâ, quia prius mouet ipsam causam secundam. Secundo, quia aliâs non esset ordo per se inter causam primam & secundam, quia nec ordo perfectionis constituit ordinem per se quoad causalitatem, ut est per se notum, nec sola concomitantia in operando constituit ordinem per se inter plures causas, ut patet in multis trahentibus lapidem; ergo ut sit ordo per se inter causam primam, & secundam, necesse est ut primâ præcedat præmouendo secundam, & influendo in ipsam. Tertiò, quia omnis causâ secundâ est mouens mota, quia se habet ut instrumentum respectu primæ; ergo è contrario si agit absque præmotione prioris causæ, est simpliciter causâ primâ, ut priori non subordinatur. Quod, quia omnes causæ vniuersales creantur, ut sol, & stella, cum cooperantur causis inferioribus, aliquid in illas influunt præuius ad operationem; ergo multo magis Deus.

Quinta ratio principalis, & generalis etiam est, quia causâ secundâ non facit, nisi quod Deus vult eâ facere; præcedit ergo voluntas efficax Dei, non solum antecisione æternitatis, sed etiam ordine causalitatis, & naturæ, ante omnem actionem causæ secundæ; ergo Deus per illam voluntatem efficacem phylitè præmouet, & applicat causam secundam ad suam operationem. Probatur hæc consequentia vltima, quia voluntas Dei absoluta est efficacissima, & ipsius velle, & facere, & ita per illam voluntatem phylitè concurrunt ad actionem causæ secundæ; ergo concurrunt præmouendo illam, & faciendū, ut infallibiliter faciat. Atque hæc ratio de omni causâ creatâ, siue naturali, siue libera, & de omni effectū reali cuiuscumque ordinis sit, procedit, quia nihil potest in rerum natura fieri, nisi quod Deus absolute & efficaciter fieri vult.

Sexta ratio specialis sit de agentibus naturalibus inanimatis, quia omne agens creatum cum operari incipit, reducitur de potentia in actum, & ita agendo periclitatur: sed ita agentia naturalia & inanimata non periclitantur nec actuuntur sua actione formali; ergo necesse est, ut periclitantur motione aliqua prævia, quam à primâ causâ recipiunt. Maior videtur Philosophorum consensus cum Aristotele 8. phylit. cap. 5. Minor etiam probatur facile, quia ista agentia solum agunt per actionem transeuntem, quæ est in passio, & non in agente, iuxta receptam doctrinam, & ideo non periclitantur formaliter ipsum agens; ergo oportet ut antecederet ab ipso Deo periciatur.

Septima ratio specialis additur de actionibus vitalibus, quia essentialiter pendunt à potentia vitali. Unde fieri etiam non potest de potentia absoluta, ut Deus producat actionem vitalem creatam, nisi mediante principio vitali, cum dicat intrinsecum ordinem ad potentiam vitalem; ergo impossibile est, quod Deus suo concursu influat in actionem vitalem, nisi prius natura influat in ipsam causam vitalem; per quam debet produci vitalis actio.

Octaua ratio specialis additur de actu libero voluntatis, quia voluntas natura sua est indeterminata ad producendum, vel non producendum talem actum, seu ad producendum hunc, vel aliū contrarium; ergo non potest rationem inchoare nisi prius natura

10.
4. Ratio ex
essentiali sub
ordinatione
causæ se-
cundæ.

11.
5. Ratio ex
eo quod
causâ 2. nō
facit nisi
quod Deus
vult illam
facere.

12.
6. Ratio a-
gentia na-
turalia & in-
animata nō
posse se
sua virtute
de potentia
ad actum
reducere, &
se ita perfi-
cere.

13.
7. Ratio cir-
ca actus vi-
tales.

14.
8. Ratio ex
actione li-
bera volun-
tatis quæ in-
diget præ-
determina-
tione cum

ipsa sit in-
determina-
ta.

Commenta-
tor.
D. Thomas.

15.
1. Confir-
matio.

2. Confir-
matio.

3. Confir-
matio.

D. Thom.

Confirma-
tio vltima.

16.
Vltima ra-
tio in acti-
bus super-
naturalibus

natura De⁹ influat in ipsam voluntatē prędetermi-
nando illam ad talem actionē potius quam ad aliā.
Probatur consequentia, quia voluntas nunquam
potest prodire, vel inchoare actionem nisi determin-
natam, & in particulari: à causa autē indetermina-
ta in eo status manēre non potest determinatu effe-
ctus prodire; ergo oportet vt prius prędetermine-
tur à Deo, quia nullū est agens superius, à quo pos-
sit prędeterminari. Consequentia cum maiori eui-
dētia sunt. Minor autem probatur in primis au-
thoritāte Commentatoris 2. Physic. text. 48. & D.
Thom. 1. p. q. 19. art. 3. ad 5. deinde ratione, tum quia
quamdiu causa est indeterminata, non est cur ma-
gis hunc effectum determinatum quam alium effi-
ciat, tum etiā, quia talis causa non est plenē in actu,
sed est in potentia, & ideo ab illa, vt hic non est de-
terminatus effectus. Tum pręterea, quia omne q.
quandoque est agens actu, quandoque in potentia
indiget moueri ab alio, & ideo promouendum est
ad mouentem qui sit purus actus: talis autem est
voluntas libera creata, vt interdum sit in potentia
quandoque in actu; ergo reuocanda est in Deum,
vt in primum mouentem.

Confirmatur primò hæc ratio, quia nisi Deus suo
influxu ita præueniat causam liberā, sequitur om-
nes actus liberos fortuito & contingenter euenire
respectu Dei. Consequens est falsum, & contra de-
bitum ordinem diuinę prouidentię, & contra eius
perfectionem, quę non permittit vt casus, & fortu-
na in Deum cadant. Sequela probatur, quia si Deus
non ita præuenit voluntatem creatam, eius libera
determinatio non penderet ex diuina voluntate, &
prouidentia, sed ab ipsa voluntate se liberē deter-
minante; ergo talis determinatio semper erit con-
tingens, & casu, ac fortuito eueniet respectu Dei.
Confirmatur secundò eadem ratio, quia aliās Deus
non esset prima causa determinationis liberę volun-
tatis, quod est absurdissimum, quia illa determi-
natio est aliquid in rerum natura: quidquid autem
est aliquid, est à Deo vt prima causa; ergo. Sequela
probatur, quia si Deus non prędeterminat volun-
tatem; ergo determinatio eius non est à Deo, sed
à voluntate primò & per se applicante se ad ope-
randum prius natura, quam Deus in illam influat.
Confirmatur tertio, quia libertas creata ita subor-
dinatur diuinę, vt formaliter loquendo, in diuinā
libertatem, & voluntatem tanquam in causam pri-
mam physicam reducatur, etiam in genere physico,
iuxta doctrinā D. Thomę 1. p. q. 19. art. 8. ibi à Tho-
mistis communiter receptam, & Ledesnam alle-
gat, ergo necesse est vt operatio etiam libertatis li-
berę sit à Deo vt præmouente liberē vt inde habeat
voluntas creata voluntatem suę determinationis.
Confirmatur vltimò, quia vel voluntas humana
determinat diuinam ad hunc particularem effectū,
vel è conuerso. Primum dici non potest, ergo se-
cundum, quia non est medium, aliās veraq; a quē
primò se determinaret, quod est contra diuinam
perfectionem, & esset quasi casuale & fortuitum.
Probatur minor, quia illa etiam est imperfectio di-
uinę voluntatis, penderet enim à creata, & ab illa
modificaretur concursus eius.

Vltima ratio assertur, quæ maximē videtur acti-
bus supernaturalibus congruere, quamuis ab ali-
quis etiam ad bonos actus morales ordinis natu-
ralis accommodetur, sumiturq; ab inconuenienti,
quia initium talium actuum, siue fiant ante habi-
tum, siue ex illo, sumendum est à præmotione Dei,
quæ in voluntate præcedat, & physicē actum effi-
ciat, quia aliās primum initium pię operationis ef-
ficeret ex nobis. nam homo esset qui primò illam inci-
peret. Consequens autē est contra definitionem fi-
dei; ergo. Sequela probatur, quoniam si voluntas
affecta habitu infuso sine præmotione Dei posset

vti illo habitu & ignata sua libertate, iam ipsa vo-
luntas primò inciperet actum illum, ac proinde ab
illa esset initium salutis quoad talem actum. Minor
autem & falsitas consequentis probatur. Primò ex
Concilio Arauficano Can. 25. dicente, *Hoc salubriter
confitemur, quod in omni opere bono nos non incipimus, &
postea per Dei misericordiam adiuuamur, sed ipse nobis, nullis
precedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem sui inspirat.*
Secundò ex Concilio Senon. in principio, dicente,
*Accedentem ad Deum oportet primum diuinę gratiæ munere
adiutum credere, deinde bonis operibus intendere, in quibus
efficiendus, & liberum arbitrium operatur, & gratia, primò
tamen, & principalis gratia. Quare qui hominem bene ope-
rari, & salutem consequi arbitrat sine gratia, aut prima-
tum boni operis libero arbitrio adscribit, non gratia, Pelagianus
confessus est.* Tertiò, quia aliās aliquid proprium
haberet homo in negotio salutis quod non accepisset
ex gratia, contra illud Pauli 1. ad Corinth. 4.
Quid habes quod non accepisti? Sequela probatur, quia
voluntas quòd actu operetur, non habet ab habitu
supernaturali, quia solus habitus non dat volunta-
ti, quod infallibiliter operetur, sed solum vt possit
operari, si velit. Concurfus etiam Dei licet sit ordi-
nis supernaturalis, nō tribuit efficienter voluntati
quod operetur, nec facit illā iustitię, sed concurrat
cū illa simul ad actuale operationē, si ipsa volue-
rit operari; ergo quod voluntas operetur, habebit
ex seipsa, & non ex gratia, quod dici non potest.

CAPVT XXX.

*Quid sit concursus præuius, & quod munus
eius, ob quod necessarium esse
creditur.*

Non possumus de prædicta sententia ferre iu-
dicium nisi prius sensus illius exactē intelliga-
tur. Vnde, quia in illo explicando defensores
eius non conueniunt, nonnullis interrogatio-
bus, seu dubitationibus propositis, illum inquire-
re necessarium duximus.

Prima interrogatio est, an hic concursus sit ali-
quid creatum, necne? Sed in hoc puncto non inue-
nio controuersiam inter dictos auctores. Nam licet
aliqui dicant Deum mouere causam secundam per
voluntatem suā immediatē, & ipsammet volitionem
Dei vocent motionem, vel applicationē causę
secundę ad agendum, illud non potest intelligi de
motione, quia causa secunda mouetur formaliter,
sed de motione effectiua, per quam influat Deus in
creaturam, quę propriē non est concursus ipse for-
malis, sed concursus principij, quem Deus effe-
ctiue influat in creaturam: nam illud principium
increatum est, siue dicatur esse in Deo per modum
virtutis actiue, siue per modum actionis immanen-
tis, & virtualiter transeuntis. Hic autem loquimur
de influxu qui iuxta hanc sententiā ab hoc princi-
pio increato manat in causam secundam prius na-
tura, quam agat. Et hoc necesse est esse aliquid crea-
tum. Primò, quia sit à Deo in ipsa causā secunda.
Secundò, quia per illum mouetur physicē, & reali-
ter ipsa causa secunda, supponit enim illa sententia,
causam secundam non posse agere nisi motam: non
mouetur autem formaliter per volitionem Dei in-
creatam, vt per se notum est, nam per illam non
se habet formaliter causa secunda aliter quam
prius, ergo per aliquam mutationem intrinsecam,
quæ in illo de nouo fit, mouetur; ergo motio præ-
uia necessarium est aliquid creatum.

Secunda interrogatio est, an hic præuius concu-
sus generalis primę causę sit eiusdē rationis in om-
nibus